

bellionem suam egrediendo in agrum, vastantes vineas suas
 q; calcantes. Iuxta Hebræum habetur. *Et vindemiarum vineas
 suas & calcauerunt & fecerunt letitias.* Quia erat tempus vinde-
 miarum, calcatio recte refertur ad uvas ut antiquus intel-
 lit interpret: ita quod etiam uvas calcauerunt cum letitia in
 torcularibus. Et *ingressi sunt domum dei sui, & comederunt ac bi-
 berunt, & maledixerunt Abimelech: clamate Ghahal filio Hobed.*
 Iuxta Hebræum habetur. Et dixit Ghahal filius Hebed. Nihil
 dicitur de clamore: sed videns Ghahal populū apertē cōtra
 Abimelech loquentē: oblata occasione maledicentiū mani-
 festauit ambitionem suā. *quis est Abimelech & quare est Seché vt
 seruiamus ei? nōne filius Ierubbahal.* Comparationē facit inter
 Abimelech & Seché, indignū asserens vt Sphāne seruiat Abi-
 melech. Et dicendo vt seruiamus ei, significat se esse Seche-
 mitā. Ratio autē indignitatis subiūgitur, quia Abimelech est
 filius Ierubbahal nō preferendi Sechemitis. *& constituit prin-
 cipē Zebul seruū suū super viros Chamor patris Seché.* Lōge aliter
 habetur Hebraicē. *& Zebul prapositus eius?* Exaggerādo indi-
 gnitatē, adiungit & Zebul prapositus eius: quia indignū est
 seruire duobus quā vni. Deinde sequitur. *seruite viris Chamor
 patris Seché, & quare seruiemus ei nos?* Suadet populo vt seruiāt
 nō filio Ierubbahal, sed viris ex Seché. ex antiquitate gene-
 ris Chamor patris Sechemitarū (cuius mentio fit genes. 34)
 indignū declarat vt populus ciuitatis que gloriatur in tā an-
 tiquo patre seruiat ciui alterius ciuitatis. Et simul caprat be-
 neuolentiā omniū Sechemitarū: de quorum numero se esse
 manifestat, dicens & quare nos seruiemus ei? Et quia Zebul
 creditur quoq; Sechemita, ex his verbis nō offendit eum di-
 cendo in genere, seruite viris Chamor, nō dicit, mihi aut illi.
 Et quis dabit populū istū in manu mea. Cautē loquitur: nō dicit
 quis faciet me regē aut dominū: sed quis faciet me ducē po-
 puli ad bellum. *vt auferē de medio Abimelech.* Iuxta Hebræum
 habetur. *& remouebo Abimelech?* Non promittit se occisurum
 Abimelech, sed ablaturū principatū eius super Seché si ipse
 Ghahal fieret dux populi. *dictūq; est Abimelech, congrega exer-
 citus multitudinē & veni.* Iuxta Hebræum habetur. *& dixit ad
 Abimelech, auge exercitum tuū & egredere.* Sensus est. & Ghahal
 dixit insultādo & irridēdo ad Abimelech absentē, vt consu-
 uerunt cōfidentes in suis virib; ad ostentationē sui & despe-
 ctionē inimici absentis iactanter dicere.

Zebul

Zebul enim princeps ciuitatis auditis sermonibus Ghahal filij Ho-
 bed. Legendū est. Et audiuit Zebul princeps ciuitatis verba Gha-
 hal filij Hebed. Non redditur ratio antedicti sed accumulatur
 causā mouendi Abimelech ad bellū: prius enim narratū est
 q; nunciatum fuit Abimelech de insidiis positis. *& iratus est
 valde.* Vel ira ista fuit simulata contra Abimelech, vel si fuit
 vera fuit occulta. Primus tamē sensus quadrat subiuncto fam-
 iliari colloquio Ghahal cū Zebul. *Et misit clam,* Iuxta He-
 bræū habetur. *Et misit nuncios ad Abimelech in dolo dicendo.* Ex
 hoc q; in dolo misit nuncios, insinuat Zebul simulasse ami-
 citiam cum Ghahal: nā dolus relatiuē ad Ghahal scribitur.
 ecce Ghahal filius Hebed & fratres eius venerunt in Seché, & op-
 pugnant aduersus te ciuitatē. Parui refert quod hebraicē habe-
 tur. *& angustat ciuitatē super te.* Accusatur eos eō quod angustā
 redderent ciuitatē regimini ipsius Abimelech, paucos relin-
 quentes illi beniuolos. *Surge itaq; nocte cū populo qui tecum est,
 & latita in agro.* Et primo mane oriente sole irruē super ciuitatē: illo
 autē egrediente cōtra te cum populo suo, fac ei quod potueris. *Surre-
 xitq; Abimelech cū omni exercitu suo nocte: & tetendit insidias iux-
 ta Sechem in quatuor locis.* Hebraicē habetur. *quatuor capitibus,*
 siue significentur capita locorū siue capita militū. *Egressusq;
 est Ghahal fili; Hebed, & stetit in introitu porta ciuitatis: surrexit
 q; Abimelech & omnis exercitus cū eo de insidiarū loco. Cūq; vidis-
 set populū Ghahal dixit ad Zebul, ecce de mōtibus multitudo descē-
 dit: & ait ad eū Zebul, umbra montiū vides quasi homines. Rursus
 q; Ghahal, ait: ecce populus de umbiculo terra descēdit, & dux vn;
 venit per viā que respicit quercū. Cui dixit Zebul, vbi est nunc os-
 tium quo dicebas quis Abimelech vt seruiam? cū nōne hic est populus
 que despiciebas? egredere obsecro nunc & pugna contra eum. Hinc
 clarē apparet q; hactenus simulauerat amicitia Zebul cum
 Ghahal. Abiit ergo Ghahal expectante Sichimorum populo. Iuxta
 Hebræū habetur. *Et exiuit Ghahal in faciebus Herorū Seché.* hoc
 est exiuit ante Heros Seché tanq; dux belli, ita q; primates
 Sechem secuti sunt eum. *& pugnavit contra Abimelech.* Et per-
 secutus est eum Abimelech, & fugit à facie eius: & ceciderunt vul-
 nerati multi vsque ad introitū porte. Et mansit Abimelech in Ra-
 hama. Legendum est, in Arama. Nomen est proprium loci. *&
 expulit Zebul Ghahal & fratres eius ex Sechem.**

ET fuit, sequenti die egressus est populus in campum. Expulso
 Ghahal credidit populus Sechem quietē se viuere sub
 Zebul

Zebul præposito ab Abimelech, & exiit in agrum (vel ad profuendas vindemias vt Iosephus dicit, vel ad ruralia opera (sed male successit propter spiritum malum Abimelech erga Sechemitas. & nunciatum est Abimelech. Et cepit populum diuisit eos in tres turmas, & insidiatus est in agro: vidensque quod egredereetur populus de ciuitate, surrexit contra eos & percussit eos. Et Abimelech cum turmis quæ erant cum eo grassatus est, & stetit ad introitum porta ciuitatis: dua autem turma grassata sunt contra omnes qui erant in agro & percusserunt eos. Et Abimelech pugnavit contra ciuitatem tota die illa, & cepit ciuitatem & populum qui erat in ea interfecit: diruitque ciuitatem & seminavit in ea sal.

Et audierunt omnes Heri turris Sechem. Hic habetur quod turris Sichimorū distabat à ciuitate Sechem, & ingressi sunt phanum Dei sui Berith. Iuxta Hebræum habetur. & venerunt ad locum altum, domus El Berith. Sæpe dictum est quod El significat deum quatenus est fortis: Berith autem significat fœdus. Ita quod est sensus: venerunt in excelsum locum ubi erat domus dei fœderis, tanquam esset deus fortis ad seruandum fœdera. Abimelech quoque cum audisset omnes Heros turris Sechem congregatos, ascendit in montem Zalmon cū toto populo suo: & arrepta securi præcidit arboris ramos & portauit eum, & posuit super humerum suum: dixitque ad populum qui erat cum eo, quod vidisti feci, festinate, facite sicut ego. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem: quos circumdantes præsidium succenderunt. Iuxta Hebræum habetur. & posuerunt super locum celsum, & combusserunt super eos locum celsum in igne.

Non apparet perspicue modus applicandi ignem: eo quod dicitur quod posuerunt ramos arborum super locum celsum. sonant enim verba quod super tectum illius templi posuerunt ligna, & apposito igne combusserunt & domum & existentes in ea: veruntamen modus quo huiusmodi ligna posuerunt super domum, non scribitur. Posset tamen intelligi apposita fuisse ligna super locum altum, hoc est super latera illius loci excelsi: & sic redditur facilis intellectus literæ. Itaque factum est vt fumo & igne mille homines necarentur. Iuxta Hebræum nihil habetur de fumo: sed statim subiungitur. & mortui sunt etiam omnes homines turris Sechem, circiter mille viri & mulieres. Ex quibus apparet quod etiam Zebul mortuus est cum reliquis Sechemitis.

Abimelech autem inde proficiscens iuit ad Thebex: & castramet-

metatus est contra Thebex & cepit ipsam. Insinuatur quod hoc oppidū non obediebat Abimelech. Erat autē turris fortis in medio ciuitatis, ad quam confugerūt omnes viri & mulieres & omnes Heri ciuitatis clausa firmissime ianua: & ascenderant super tectum turris. Et venit Abimelech vsque ad turrim & pugnavit contra eā: appropinquauitque vsque ad ostium turris vt combureret illud igni. Et proiecit mulier vna fragmen mole super caput Abimelech: & confregit cerebrū eius. Non fiat vis in verbo cerebrū: quia dictio Hebraica sonat cōfusse vniuersas capitis partes. Qui vocauit cito armigenū suū & ait ad eū, euagina gladiū tuū & percute me ne forte dicatur quod à semina interfectus sim: qui iussa perficiens interfecit eum. Illoque mortuus omnes qui cum eo erāt de Israel, reuersi sunt in sedes suas. Et reddidit Deus malum Abimelech. Nomen est Elohim, quadrans vltioni, quod fecerat contra patrem suū, interficiens septuaginta fratres suos. Ecce quid habetur mali pœnæ illati Gedeoni ex peccato Ephod. Et omne malum hominum Sechem reddidit Deus in caput eorum: & venit super eos maledictio Iotham filij Terubbahal. Propterea siquidem narrata est superius in hoc eodē cap. parabola huius Iotham vt monstraretur verificata.

CAPVT X.

Ost Abimelech surrexit dux in Israel. Iuxta Hebr. habetur. Surrexitque post Abimelech ad faciendū saluare Israel.

Nullus titulus ducis aut principis sed officium saluandi describitur. Significatius autem dicitur quod surrexit, ad differētiā missorum à Deo & electorum à populo. nec scribitur modus quo ambiuit officium saluatoris. Tholab. Hic est sextus iudex Israel. filius Pue patris Abimelech. Non habetur in Hebræo patris Abimelech: sed legitur. filius Pue filij Dodo viri de Isaschar. & ipse habitans in Samir in monte Ephraim. Nulla cōsanguinitas ad Abimelech ratio huius principatus inuuitur: immo ex alia tribu describitur, habitans tamen in monte Ephraim. Et iudicauit Israel viginti & tribus annis. Hinc inter iudices supputatur. mortuusque est ac sepultus in Samir. Nullum præclarè gestum ab hoc recitatur. Huic successit. Iuxta Hebræum habetur. Et surrexit post eum Iair Ghilhadites. Hinc insinuatur & quod iste ambiuit principatum, & quod fuerit de tribu Menassis: ex illa videlicet dimidia tribu quæ erat trans Iordanem: nam Ghalahad erat Machir filij Menassis. qui iudicauit Israel viginti & duobus annis. Septimus ergo iudex fuit iste Iair. Qui habuit triginta filios equi-

tantes super triginta pullos asinarum. Superfluit, asinarum, pulli enim equorum intelligēdi potius sunt: quoniā pro gloria patris hęc referūtur. & principes triginta ciuitatum: quæ ex nomine eius sunt appellatæ Chaoth' iair (id est oppida iair) vsq; in presentē diem, quæ erāt in terra Ghilhad. Mortuusque est Iair, & sepultus in Camon. Nec istius iudicis præclarū aliquid scribitur pro populo factum.

Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in cōspectu domini, & seruiuerunt Behalim & Hashtaroth & diis Syria. Iuxta Hebræum habetur non Syria sed Aram: quæ est in Mesopotamia. & diis Xidonis & diis Moab & diis filiorum Hammon & diis Pelistim: dereliqueruntque dominū & non seruiuerunt ei. Iratusque est furor domini cōtra Israēl, & tradidit eos. Iuxta Hebræum habetur. & vendidit eos in manū Pelistim & in manū filiorum Hāmon. Hoc est venales eos effecit sub manu Pelistinarū & Hāmonitarū. Afflictiq; sunt & vehemēter oppressi. Omittitur in vulgata editione vna clausula: videlicet. & contuderūt & fregerūt filios Israel in anno ipso. Narratur q̄ vno eodemq; anno Pelestini & Hāmonitæ nō solū contuderūt, sed etiā fregerūt filios Israel. & hoc quidem narratur in genere sub metaphora cōfusionis & fractionis: deinde distinguen- do per partes narratur subsequēta & gesta. decē & octo annis omnes filios Israel qui erāt trās Iardē in terra Emoræi quæ est in Ghilhad. Incipit à parte Israëlī quæ erat trās Iordanē, narrādo quod annis decē & octo oppressa fuit pars illa. In tantū vt filij Hāmon Iordanē trāsmissis vastarēt Iudā. Iuxta Hebræū habetur. Et trāsierunt filij Hāmon Iardē ad præliādum etiā contra Iehudā & cōtra Biniamin & cōtra domum Epbraim: & angustatus est Israel valde. Altera pars Israëlī quæ erat in terra promissionis afflicta narratur etiā ab Hāmonitis: afflicta autē in potētioribus tribubus, vt ex his intelligerētur magis afflicta aliæ tribus. Et quāuis prelibatū fuerit Israëlitas oppressos fuisse etiā à Pelistinīs, nihil tamen in specie subiūgitur de Pelistinīs, quā Hāmonitæ erāt principales: & subiūct⁹ saluator, cōtra Hāmonitas bellū suscepit. Et hęc est quinta afflictio populi Israel.

Clamaueruntq; filij Israel ad dominum dicendo: peccauimus tibi, quia dereliquimus te dominum Deum nostrum & seruiuimus Behalim. Quibus dixit dominus: nōne Aegyptij & Emoræi & filij Hammon & Pelistim & Xidonij & Hamalec & Mahon oppresserūt vos, clamastisq; ad me & eripui vos de manu eorū: Modus quo

quo locutus est, & similiter per quem locutus est Deus filiis Israel, lateat nos. Et vos dereliquistis me & seruisistis diis alienis: idcirco non addam vt vltra vos liberem. Diuina hęc verba intelligenda sunt secundum præsentem iustitiam: non enim merebantur liberari. Ite & inuocate deos quos elegeristis: ipsi vos liberent in tempore angustia vestra. Non mandantis, sed exprobrantis sunt verba. Dixeruntq; filij Israel ad dominum: peccauimus, fac tu nobis secundum quod bonum est in oculis tuis, tantū libera nos quem sumus in die hac. Et proiecerunt de finibus suis omnia alienorum deorum idola & seruiuerunt domino. Veræ penitentia opus demonstrarunt relinquendo idolatriā & colendo verum Deū. qui doluit super inuiseris eorum. Iuxta Hebræum habetur & decurtata est anima eius in labore Israel. Tristitia est retrahere animum, quemadmodum lætitia est animum extendere: & propterea ad instar tristati describitur Deus vtendo similitudine decurtati animi. Humano siquidem more describitur Deus condolens Israeli afflicto: vt non Israeli merito, sed diuinæ misericordiae attribuat secuta liberatio populi.

Conclamaueruntq; filij Hammon proculdubio tubis & huiusmodi. & castrametati sunt in Ghilhad: contra quos congregati filij Israel, castrametati sunt in Mizpa. Congregatio Israelitarum in Mizpa, post aduentum Iephthæ intelligenda est. narratur enim more solito prius res gesta, & deinde causa seu modus rei gestæ. Vnde statim subiūgitur modus quo habitus est dux exercitus, subiungendo concilium Ghalahaditarum contra quos directē tendebat bellum: & fuit conclusio concilij quod caput exercitus esset princeps in regione Ghalahad. Dixeruntque principes Ghilhad quilibet ad proximum suum: quicumque ceperit pugnare contra filios Hammon, erit dux omnibus habitatoribus Ghilhad.

CAPVT XI.

Virque illo tempore Iipthach Ghilhadites vir fortis, filius mulieris meretricis: qui natus est de Galahad. Legendum esset. & genuit Ghilhad Iipthach. Et est sentus quod de muliere illa meretrice genuit Galahad Iephtham. corruptis tamen nominibus istis vtor propter consuetudinem. Et scito quod Galahad nomen est æquiuocum: nam & est nomen proprium patris Iephthæ, & est nomen proprium loci. Habuit autē Ghilhad uxorem de qua suscepit filios: qui postquam

creverunt, eiecerunt Iphthach, & dixerunt ei, hæres in domo patris nostri esse non poteris quia de adultera matre natus es. Iuxta Hebræum habetur. quia filius mulieris altere tu. Nihil dicitur de adulterio: sed duntaxat quod mater eius esset mulier alia. Et est sensus quod erat mulier neque vxor neque concubina patris. concubina enim erant veræ vxores quatum ad thorum, quauis non quantum ad dignitatem: & filij earum inter hæredes supputabatur nisi pater aliter disposuisset, vt fecit Abraham: nam filij Iacob omnes fuerunt hæredes. Sed iste Ieptha natus erat ex muliere quæ non erat mulier patris Iepthæ: & propterea dicitur mulier alia, hoc est mulier aliena à patre eorum: vt pote nullo vinculo illi iuncta, sed fornicario duntaxat coitu. Quos ille fugiens habitauit in terra Moab, congregatiq; sunt ad eum viri inopes & latrocinantés. Iuxta Hebræum habetur. viri viciui. Nihil dicitur de latrocinio, sed de paupertate: erant enim vacui opibus. & egressi sunt cum eo.

Et fuit post aliquot dies, pugnaverunt filij Hammon contra Israel. Redit author ad ordinem historiarum. Quibus acriter instantibus. Non habetur hoc in Hebræo. Et fuit, cum pugnarent filij Hammon contra Israel, perrexerunt seniores Ghilhad vt tollerent Iphthach de terra Tob. Dixeruntque ad eum: veni & esto princeps noster, & pugna contra filios Hammon. Quibus ille respondit: nonne vos estis qui odistis me & eiecistis de domo patris mei, & cur venistis ad me cum angustia est vobis? Hinc apparet quod Senū autoritate expulsus fuerat Ieptha à domo patris sui publico mandato, ita vt fugere illum oportuerit. Dixeruntq; seniores Ghilhad ad eum: ob hanc causam nunc reuersi sumus ad te vt proficiscaris nobiscum & pugnes contra filios Hammon, sisq; dux omnium qui habitant in Ghilhad. Fatentur senes ob suam angustiam quam patiebantur ab Hammonitis reuersos se ad Ieptham. Et aiunt reuersi sumus ad te, non quod bis venerint: sed quod animum denuo verterint ad ipsum, quemadmodum prius bonum habuerant erga ipsum animū antequam expellerent eum. Dixitq; Iphthach ad eos: si reuertri facitis me ad pugnandum contra filios Hammon tradideritq; eos dominus coram me: ego ero vobis in ducem? Qui responderunt ei: dominus qui hec audit, ipse mediator ac testis est quod nostra promissa faciemus. Parui refert quod Hebræicè habetur, Iehouah erit audiens inter nos inuicem si non secundum verbum tum sic faciemus. Deum testem ac iudicē inuocant si non fecerint secundū verbum Iepthæ. Iuitq; Iphthach cū senioribus Ghilhad,

had, posuitq; cum populus super se caput & ducē: locutusq; est Iphthach omnes sermones suos corā domino in Mizpa. De verbis Iepthæ habitis cum populo quando constitutus est princeps, est sermo. narratur enim deuotio eius erga verum Deum in afsecutione principatus: & hoc in Mizpa ciuitate sua.

Et misit Iphthach nuncios ad regem filiorum Hammon dicendo. Quia Hammonitæ inferebāt bellum aduersus Galahaditas, optimo officio principis incipit fungi Ieptha interrogādo causam belli. quid mihi & tibi quod venisti ad me vt pugnes contra terrā meā: Interrogatis sunt quid commune vtrique sit causa belli. Quibus ille respondit: quia tulit Israel terrā meam quādo ascendit ex Aegypto, ab Arnon vsque ad Iabboc & vsque ad Iarden, & nunc reuertit eam cum pace. Hinc apparet quod rex iste erat etiam rex Moab. nam terra quam repetebat, Moabitarū olim fuerat: vt scribitur Num. 21.

Addidit autem adhuc Iphthach: & misit nuncios ad regem filiorum Hammon. Et imperauit eis vt dicerent regi Hammon: hec dicit Iphthach, non tulit Israel terram Moab & filiorum Hammon. Sed cum ascenderet ex Aegypto, ambulauit Israel per solitudinem vsque ad mare rubrum, & venit in Cades. Misitq; Israel nuncios ad regem Edom dicendo, dimitte obsecro vt transcam per terram tuam: qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad regem Moab: qui & ipse transcam præbere noluit. Intellige hanc legationem missam anno secundo egressionis ex Aegypto: & perpende tacitam fuisse à Mose huiusmodi legationem ante regressum exploratorum. misitq; Israel in Cades. Ambulauitq; per desertū, & circumiuit terrā Edom & terrā Moab, venitq; ab ortu solis terra Moab & castrametati sunt trans Arnon: nec intrauerunt terminum Moab: Arnon enim est terminus Moab. Misitq; Israel nuncios ad Sichon regem Emoraum, regem Chesbon: & dixit ei Israel, transcam obsecro per terram tuam vsque ad locum meum. Hoc est vsq; ad terram promissionis. Qui & ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos. Honestius narrat Hebraica litera. Et non credidit Sichon Israelē transire per terminum suū. Diffidētia scribitur ratio negati transitus, sed infinita multitudinē congregata egressus est contra eum in Iasa, & fortiter resistebat. Iuxta Hebræum habetur. & congregauit Sichon totum populum suum, & castrametati sunt in Iahza: & pugnavit cum Israel. Bellum officium ex parte regis Seon describitur aduersus Israelē. Tradiditque eum dominus in manus Israel cum omni exercitu suo.

Iuxta Hebræum habetur, Et dedit Iehouah Elohe Israelis Sichon & omnem populum eius in manum Israel, & percusserunt eos. Summus Deus tanquam proprius Deus Israelis donator victoriæ significatur. & possedit Israel omnem terram Emoræi habitatoris terræ illius. Et possederunt omnem terminum Emoræi ab arnum vsque ad Iabboc, & à solitudine vsque ad Iarden. Et nunc dominus Deus Israel expulit Emoræum, pugnantem contra illum populo suo Israel. Parui refert quod Hebraicè habetur. à facie populi sui Israel. Deum largitorem illius terræ probat ex eo quod expulit Emoræum ad præsentiam filiorum Israel. & tu possidebis eum? Nōne quæ possedit Chamos Deus tuus tibi iure debetur; iuxta Hebræum habetur. Nōne quod faciet possidere te Chemos Elohe tuus illud possidebis? & quicquid possidere fecit domus tua Deus noster à facie nostra, illud possidebimus. Cōfirmat ratio. Im à simili seu pari secundū opinionem deorū. Et nunc an melior es Balac filio Xipor rege Moab? Accumulat rationes ex parte illius regis qui regnabat in Moab tempore quo Israelitæ acceperunt terram illam. aut docere potes quod iuratus sit contra Israel & pugnauerit cōtra eum? Iuxta Hebræum habetur. num litigando litigauit cum Israel? num pugnando pugnauit contra eos? Sententia est clara. Quando habitauit Israel in Chesbon & in filiabus eius & in Harhor & in filiabus eius & in omnibus ciuitatibus quæ sunt super terminos Arnon, per trecetos annos. Intellige cōsuetū loquendi modo dixisse Ieptham trecetos annos, quia parum deerat temporis à possessione illius terræ ad trecetesimum annum. quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis? Iuxta Hebræum habetur. & quare non fecistis eruere in tempore ipso? sed sententia in idem redit. Egoq; nō in peccauit tibi, & tu facis mihi malum pugnando cōtra me: iudicet dominus arbiter huius diei. Iuxta Hebræum habetur. iudicabit Iehouah, iudicans hodie inter filios Israel & inter filios Hammon. Remittit causam in iudicium diuinum demonstrandum victoria partis habentis ius. Et honorat Deum verum officio iudicandi, dicens quod hodie (hoc est in præsentī tempore) inter filios Israel & filios Hammon iudicabit summus Deus iudicans: hoc est ad quem spectat iudicium. Nō uirque acquirere rex filiorum Hammon in uerbis Iipthach quæ miserat ad eum.

Factus est ergo super Iepthā spiritus domini: & circumiens Ghalahad & Menasse, Masphat quoque Ghalahad, & inde trāsiens ad filios Hammon. Parui refert quod Hebraicè habetur. Et fuit super

super Iipthach spiritus Iehouah, & transiit Ghilhad & Menasse: & transiit Mizpe Ghilhad, & de Mizpe Ghilhad transiit ad filios Hammon. Effectus diuini spiritus manifestè significatur transitus Iepthæ ad filios Hammon, qui describitur in litera primo quo ad regiones pertrāsitas, dicēdo & transiit Ghilhad & Menasse; deinde quo ad uiam, dicēdo quod trāsiiuit Mizpe Ghilhad, & de Mizpe Ghilhad transiit ad filios Hammon. Et dicit Mizpe Ghilhad ad differētiā alterius Mizpe quæ est in tribu Iudæ, cuius fit mentio 1. Reg. 7. uotum uouit domino dicēs. Iuxta Hebræum habetur. Et uouit Iipthach uotum Iehouah dicēdo. Quod ideo annotauerim, ut ab omnibus sciatur aliam esse orationem in contextu Hebraico: ne sumatur argumentum ex contextu quod hoc uotum profectum est à spiritu domini, nam ex contextu efficacia huius argumenti non apparet, nec etiam cōtextus excludit hoc argumentum. si tradendo tradideris filios Hammon in manum meam, quicumque primus fuerit egressus è foribus domus meæ in occursum meum cum reuersus fuero in pace à filiis Hammon. Non est in Hebræo dictio primus, quanuis subintelligatur; alioquin uouisset sacrificare omnes è domo sua egredientes obuiam reuertenti, cum holocaustum offeram domino. Plus habetur Hebraicè. & erit Iehouah, & offeram eum holocaustum. Itaque quod duo uouet: & quod egrediens sibi obuiam erit fonti effendi (hoc est dicabitur summo Deo) & offeram eum in holocaustum, quod totum cremabatur Deo. Et hæc annotabis ut librare possis varia dicta de isto uoto. Transiitque Iipthach ad filios Hammon ut pugnaret contra eos: & tradidit eos dominus in manū eius. Et percussit eos ab Haroher vsque quo uenias in Minith viginti ciuitates & vsque ad Abel vinearū, plaga magna ualde humiliatque sunt sibi Hammon à facie filiorum Israel.

Venitque Iipthach in Mizpe ad domū suam, & ecce filia eius egrediebatur in occursum eius cū tympano & choris: & tantū ipsa sola non erat ei ex se filius uel filia. Qua uisa scidit uestimēta sua & ait: heu me filia mea decepisti me. Iuxta Hebræum habetur. genuflectendo fecisti genuflectere me. Et est sermo metaphoricus. est enim sensus quod humiliasti me ad instar genuflexi. Genuflexio enim species est humiliationis tū secundū situm corporalē, tū secundum affectum animi, tū secundum robur: ex eo enim quod uniuersum semē suū se amittere ex hoc occur su perpēdebat, ualde humiliatum se doluit. & ipsa decepta es.

Iuxta Hebræum habetur. *Et tu fuisti inter conturbantes me, ubi credidisti lætificare me conturbasti me, quo ad animū. aperui enim os meum ad dominum & non potero retrahere. Cui illa respondit: pater mi si aperuisti os tuum ad dominum fac mihi quicquid pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis, de filiis Hamon. Dixitq; patri suo, hoc solum mihi presta, dimitte me duobus mensibus vt circumeam montes. Parui refert quod Hebraicè habetur. *Et ibo & descendā super montes. Nonnulla vagandi species describitur, nisi credamus dicentibus qd dictio interpretata descendam interpretāda est lamentabor. Et hæc interpretatio magis quadrat materiæ. *Et flebo super virginitatē meā ego & sodales meæ. Cui ille respondit vade, dimisitq; eam duobus mensibus: cūque abisset cum sociis ac sodalibus suis, iuxta Hebræū habetur. *Et iuit ipsa & Sodales eius. Nihilque dicitur de sociis. *Et fleuit super virginitatem suam in montibus.*****

Et fuit circa finem duorum mensum, reuersa est ad patrem suum. *Et fecit ei sicut vouerat. Iuxta Hebræum clarius habetur. *Et fecit ei votum suum quod vouit. Recole quod vouit & erit domino & offeram eum holocaustum: & clarè scribi cognosces qd non solum dicauit eam Deo sed etiam obtulit eam in holocaustū: alioquin non verificaretur scriptura, dicens & fecit ei votum suum quod vouit. De quaestione autem an bene vel male fecerit adimplendo sic votum, nihil certi habeo: quoniam potest intelligi quod ex spiritu diuino qui fuit super eum fecit huiusmodi votum & adimpleuit, in cuius signum in epistola ad Hebræos supputatur Ieptha in catalogo sanctorum. Et potest intelligi quod ex mala intelligentia legis Moysi promulgatæ Leuit. vlti. (vt ibi diffusè declarauimus) adimpleuit votum hoc: vt sic Ieptha excusetur nō à toto, sed à tanto. Videtur enim quod hac ignorantia laborauerit non ipse solus sed etiam sacerdos illius temporis, nam cū ipse esset princeps, & duobus mensibus prorogata fuerit executio voti iam in publicum deducti, rationi consentaneum est vt nec summus sacerdos sciuerit declarare sensum legis: supposito quod spiritu Dei hoc nō fecerit, sed arbitratus se obligari ad votum ex lege. *Et ipsa non cognouit virum, exinde mos increuit in Israel. Iuxta Hebræum habetur. *Et fuit statutum in Israel. Plurquam mos aut cōsuetudo scribitur, vt post anni circulum. Legendum est. Annuatim, quod clarius sonat perpetuitatem, conueniant in unum. Iuxta Hebræum habetur. *Ibunt filie Israel.*****

Israel, & nihil dicitur de conuentu, ad plāgendum filiam Iphthach Ghilhaditæ, quatuor diebus in anno.

CAPVT XII.

Cce autem in Ephraim orta est seditio iuxta Hebræum habetur. *Es fuit congregatus vir Ephraim, & transiuit ad septentrionem. Et est sermo de congregatione cum sono tubarum: significatur enim congregatio exercitus, malusq; animus Ephraitarum erga Ieptham describitur, dixeruntq; ad Iphthach: quare transisti ad pugnadum cum filiis Hamon & nos non vocasti vt pergeremus tecum? domum tuam incendemus. Deficit, super te, minatur enim incendere & ipsum & domum eius. Quibus ille respondit: disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Hamon, & uehemens. Populum Ghalahaditem appellat populum suum, & clauitque vos Plus habetur Hebraicè. *Et clamaui ad vos. Vnde patet mentitos fuisse Ephraitas, dicendo se non fuisse vocatos. *Et non saluastis me de manu eorum. Quod cernens posui animam meam in manibus meis. Metaphoricus est sermo, significans quod exposui vitam meam periculo pugne quæ fit per manus. transiuitq; ad filios Hamon, & tradidit eos dominus in manum meam: quid commerui vt aduersum me confurgatis hodie ad prelium?***

Vocatus itaque ad se cunctis viris de Ghilhad, pugnavit contra Ephraim: percusseruntque viri Ghilhad Ephraim, quia dixerat fugitiuus est Ghilhad de Ephraim & habitat in medio Ephraim & Menassis. Iuxta Hebræum habetur. *euasi de Ephraim vos Ghilhad, in medio Ephraim in medio Menassis. Ad explanadum Hebraicam dictionem, finximus participium passiuum euasi, ignominia siquidem affecti fuerant Ghalahadita tanquam fugitui ex Ephraim, tanquam fugaces reputati tam à tribu Ephraim quam à tribu Menassis cuius pars erat Ghalahad. Cur autem hæc ignominiam protulerint, liquidam occasionem nescimus: cū nulla occurrat historia tradens de Ghalahaditis aliquid huiusmodi. Occupaueruntque viri Ghilhaditæ vada Iarden per quæ Ephraim reuersurus erat: & fuit quando dicebant fugitiui Ephraim transibo, dicebant ei viri Ghilhad an tu es Ephraiteus? & dicebat non, Dicebantque ei: dic ergo Siboleth, quod interpretatur spica: qui respondebat Cheboleth, eadem litera spicam exprimere non valens, iuxta Hebræum habetur. *Siboleth: & dixit Siboleth, & non faciet dirigere ad loquendū sic. Interpret enim antiquus expositoris officium assumpsit. Quod autem dicitur**

dicitur in futuro tempore de Ephraim & non faciet dirigere linguam suam ad loquendum sic, relatiuè ad interrogationem describitur. Ex vsu autem loquendi Ephraimitarum defectus iste proferendi accidisse videtur eis: quemadmodum experimur in Italia aliquam nationem loco corui proferre etroum. *Statimq; apprehensum iugulabant in ipso transitu Iarden: & ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadragintadu milia.*

Iudicauitq; Iiphtach Ghilhadites Israelem sex annis. Octauus iudex fuit Iepthaita quod relatiuè ad Ghalahad fuit dominus, relatiuè verò ad Israel fuit iudex, & mortuus est ac sepultus in ciuitate sua Ghilhad. Superfluit sua, non enim explicatur in qua ciuitate sepultus fuerit: sed duntaxat quod sepultus est in ciuitatibus Ghalahad. Fortè in locis communi pluribus ciuitatibus sepultus fuit: & propterea scribitur sepultus in ciuitatibus Ghalahad.

Post huncq; Tres iudices (videlicet nonus, decimus & undecimus) subiunguntur sine præclaris gestis. *Iudicauit Israelem Ibxan de Beth lechem. Qui habuit triginta filios & totidem filias: quas emittens foras maritis dedit, & eiusdem numeri filijs suis accepit uxores introducens eas in domum suam: iudicauitq; Israelem septem annis. Et mortuus est Ibxan, ac sepultus in Beth lechem. Cui successit Elon Zebulonites: iudicauitq; Israelem decem annis. Et mortuus est Elon Zebulonites, ac sepultus in Aialon in terra Zebulun.*

Post hincque iudicauit Israelem Habdon filius Hillel, Pir' hathonites. Qui habuit quadraginta filios & triginta ex eis nepotes equitantes super septuaginta pullos asinarum. Superfluit, asinarum, pulli enim equorum ad eorum gloriam significantur. & iudicauit Israelem octo annis. Mortuusque est Habdon filius Hillel Pir' hathonites: & sepultus est in Pir' hathon in terra Ephraim in monte Hamalecitarum.

CAPVT XIII.

Vrsuq; filij Israel fecerunt malum. Iuxta Hebræum ha-

Rbetur. *Et addiderunt filij Israel ad faciendum malum in oculis domini. Progressus de malo in peius describitur. Tradiditq; eos dominus in manum Pelistinorum quadraginta annis. Sexta est hæc afflictio populi Israel, diuturnior reliquis supradictis post ingressum in terram promissionis.*

Fuitq; vir vnus de Zarah de familia Danitarum, & nomen eius Manoa: h: & vxor eius sterilis & nõ peperit. Apparuitq; angelus domini mulieri & dixit ei: ecce nunc sterilis es & non peperisti, concipies

concipies autem & paries filium. Caue ergo ne bibas vinum & siceram, & ne immundum quicquam comedas. Quia concipies & paries filium & nouacula non ascendet super caput eius, quia erit nazareus dei ab infantia sua & ex matris utero. Non habetur in Hebræo ab infantia sua: sed duntaxat, quia Nazareus Elohim erit puer ab utero. Lege capitulum sextum numeri: & inuenies legem Nazareorum. Sed fat est hinc nosse quod ratio inhibendi matri quæ inhibita sunt Nazareis, redditur in litera ut puer incipiat Nazareatus suum ex materno utero: quia enim puer in utero alitur ex sanguine matris, ideo abstinentia matris ab inhibitis Nazareo, imputatur filio. & ipse incipiet liberare, Israelem de manu Pelistinorum. Significanter non dicit liberabit sed incipiet liberare, quia Samson non liberauit sed incipit liberare Israelem à Pelistinis. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: vir dei, iuxta Hebræum habetur, vir Elohim venit ad me. Et hinc clarè apparet quod in specie viri apparuit angelus, habens vultum angelicum. Parui refert quod Hebræicè habetur, & aspectus eius sicut aspectus angeli Elohim terribilis valde. Dictio interpretata terribilis, sonat potius formidatum. Non apparuit sub specie viri amabilis sed timendi, quia mulieri iuueni apparebat: nec decebat eam trahere ad sui amorem sed reuerentiam, & propterea aptius interpretaretur reuerendus valde: ut etiam ipsa verba vxoris eximerent maritum ab omni suspitione noui amoris in vxore, quæ cum interrogassem quis esset & vnde venisset & quo nomine vocaretur noluit mihi dicere. Iuxta Hebræum habetur, & non interrogauit eum quo ab isto ipse, & nomen suum non indicauit mihi. Manifestat mulier se nihil aliud scire de conditionibus angeli qui apparuit, quia nescit nomen illius & non interrogauit quo iret à loco isto, & per hoc manifestat quod nescit vbi habitet, aut quo diuerterit. Dixitq; mihi: ecce concipies & paries filium, caue ne vinum bibas & siceram & ne aliquo vescaris immundo, erit enim puer Nazareus dei ab infantia sua ex utero matris sue. Iterum habetur Elohim: nec habetur ab infantia sua, sed ex utero, vsque in diem mortis sue. Perpetuitas Nazareatus Samsonis prænuiciatur, quæ res fuit valde singularis: nam secundum legem, Nazareatus erat ad tempus & nõ per totam vitam hominis: ut patet numeri. 10.

Orauit

O *Rauis itaq; Manoach ad dominum & ait: obsecro domine.*
 Nomen est Adonai, blandè precantem manifestans. *ut*
vir dei quem misisti veniat iterum, & doceat nos quid debeamus
facere de puero qui nasciturus est. Dictio interpretata dei, est no-
 men Elohim, existimabat enim angelù qui apparuerat vxori
 esse virum iustum, timètem deù ac prophetam: & propte-
 rea appellauit ipsum virum Elohim. *Exaudiuitq; deus depre-*
cationem Manoach. Et hìc deus nominatur Elohim, consonas
 gubernationi: iterumq; idem nomen repetitur subiungen-
 do apparitionem angeli domini. appellatur enim angelus
 Elohim ab officio gubernandi. Et apparuit rursus angelus do-
 mini vxori eius sedenti in agro, & Manoach vir eius non erat cum
 ea *Qua festinauit & cucurrit ad virum suum: & nciauit ei dicens*
ecce apparuit mihi vir quem ante videram.

Qui surrexit & iuit post vxorem suam: veniensq; ad virum dixit
ei, tu es qui locutus es mulieri? & ait, sum. Dixitq; Manoach: quan-
do sermo tuus fuerit expletus, quid vñ ut faciat puer aut à quo se
obseruare debet. Iuxta Hebræum habetur, quod erit iudicium
pueri & opus eius? Iudicium appellat decretum de vita pueri,
 & specialiter operis eius. Et dixit angelus domini ad Manoach:
 ab omnibus qua locutus sum mulieri caueat, de omni quod ex vite
 nascitur ne comedat, & vinum & sicerā non bibat, & nihil immū-
 dum comedat, omne quod ei præcepti custodiat. Scitò prudens le-
 ctor, quòd non referuntur hæc verba angeli ad puerum sed
 ad vxorem: quia in textu Hebraico omnia hæc verba tertiæ
 personæ (cauebit, comedet, bibet, custodiet) sunt feminini
 generis. Quauis enim Manue interrogauerit de puero, an-
 gelus tamèn secundum hæc scripta distinctius respondet de
 vxore, de puero autem quid dixerit non est scriptum, sed ex
 his perpendendum author libri reliquit: puta quòd erit Na-
 zaræus vsque ad mortem: & quòd incipiet liberare populù
 à Pelistinis.

Dixit itaque Manoach ad angelù domini: obsecro te vt acq-
 uies precibus meis. Iuxta Hebræù habetur, retinimus obsecro te
 & faciemus tibi hædum caprarum. Prandium seu cœnam vo-
 lebat ei præparare. Cui respondit angelus domini: si retinueris me
 non comedam de pane tuo, si vero feceris holocaustù, offer illud domi-
 no: quia nesciebat Manoach quòd angelus domini esset. Dixitq; ad
 eum: quod est nomen tuum, quia veniet sermo tuus & honorabimus
 te? Cui ille respondit: cur queris nomen meù quod est mirabile? He-
 braica

braica dictio quanuis interpretari quoque possit occultum,
 subiunctis tamen quadrat vt interpretetur mirabile, quadrat
 etiam gestis Samfonis admiratione dignis quem annuncia-
 re venerat. Tulitq; Manoach hædum caprarum & libamenta.
 Iuxta Hebræum habetur. & munus. De quo diffusè scriptum
 est in Leuitici capitulo secundo: significat enim florem farinæ
 cum oleo. &c. & obtulit super petrâ domino, qui facit mirabilia.
 Iuxta Hebræù habetur. & mirando ad faciendum: Manoach au-
 tem & vxor eius intuebantur. describitur siquidem ad literam
 quòd Manue posuit super petram hædum & munus ad of-
 ferendum summo deo: & ipse non obtulit deo, sed rogauit
 angelum qui appellatur mirandus vt faceret holocaustum:
 & ipse & vxor eius intuebantur angelum facientē holocau-
 stum. Hinc in primis habes quòd nomen angeli interpretan-
 dum est mirabile: nam inde author libri nominat ipsum ad-
 mirandum. Habes deinde quòd hædus non coctus delatus
 est: quia in holocaustum offerendus portabatur, iuxta mada-
 tum angeli respicientis comedere, & monentis vt offerret ho-
 locaustum. Habes tertio quòd angelus erant secundum legem holo-
 causti. Nec mutatur sensus si legatur actiue facienti mira-
 ri ad faciendum, nam etiam sic significatur quod angelo fa-
 cienti mirari dedit ad faciendum holocaustum. Siue ergo le-
 gatur Hebraica dictio actiue siue passiuè, in idem redit sen-
 tentia. Cuiq; ascenderet flamma supra altare in calum, angelus
 domini pariter in flamma ascendit. Quia nulla fit mentio ligno-
 rù, nulla fit mentio ignis delati sed solius flammæ (non qua-
 liscunque sed ascendentis in cœlos) insinuatur implicite flā-
 mā illa subito ex lapide erupisse angelico ministerio. Mano-
 ach autem & vxor eius intuebantur, & ceciderunt super faciē suam
 in terram. Et ultra non apparuit eis angelus domini: tuncq; intellexit
 Manoach angelum domini esse.
 Dixitq; ad vxorem suam: morte moriemur quia vidimus dominum.
 Nomen est Elohim: & sæpe dicta est ratio similis timoris.
 Cui respondit vxor eius: si dominus nos velle occidere, non suscepisset
 de manibus nostris holocaustum & libamenta. Legendum est. &
 munus, vt supra exposuimus, nec ostendisset nobis omnia hæc neq;
 ea que ventura sunt dixisset. Iuxta Hebræum habetur. & sicut
 tempus non fecit audire nos sicut hoc. Obscurā sunt verba, sensus
 tamen est quòd non fecisset nos audire tum spectantia ad
 tem-

tempus futurum spectantia ad talia futura: videlicet abstinentiam meam à vino. &c. nazaraetum pueri nascituri & alendi. arguit enim mulier tū ex gratia suscepti holocausti, tum ex beneficio visus tū ex beneficio auditis. Et hinc prudens lector, ex hoc quod mulier asserit deum suscepisse holocaustum & munus de manu eorum, confirmatur quod sensibili signo erumpentis ignis de petra viderant holocaustū susceptum fuisse à deo.

Peperitq; mulier filium, & vocauit nomen eius Simson: creuitq; puer & benedixit ei dominus. Benedicere dei est benefacere: ac per hoc beneficium augmenti omni ex patre perfectum significatur. **C**epitq; spiritus dei agitare eum. **D**istio interpretata agitare, significat agitare seu aliquid similitudinis, puta concutere: sed quia bonum significatur, rectius exprimitur per agitare. Quo autem vel quali signo sensibili coeperit hæc agitatio, non est scriptum. *in castris Dan inter Zorham & Esbaol.* Locus in quo diuinus spiritus coepit commouere Samsonem describitur non ciuitas sed castra Dan, quia inter tentoria hic effectus apparuit.

CAPVT

XIII.

Descenditq; Simson in Thimnath: & vidit mulierem in Thimnath de filiabus Pelistinorum. Ascenditq; & nunciavit patri suo & matri suæ dicens: mulierem vidi in Thimnath de filiabus Pelistinorum, & nunc accipite eam mihi in vxorē. Cui dixerunt pater & mater eius: an non est in filiabus fratrum tuorum & in toto populo meo mulier, quod tu vadis vt accipias vxorē de Pelistinis incircuncisis: dixitq; Simson patri suo, eam accipe mihi quia placuit in oculis meis. Parentes autem eius nesciebant quod res à domino fieret & quæreret occasionem contra Pelistinos. Iunge dicta in calce præcedentis capituli quod spiritus dei incepit commouere Samsonem & quod petiit vxorē Pelistinam vt quæreret occasionem aduersus Pelistinos, cum ignorantia parentum eius quod res ista procederet à deo: & perpendes quod Samson motus spiritu dei, sciens & prudens petiit huiusmodi coniugium quanuis cōtra legem Moysi. ideo enim non Samsonem sed parentes eius latere diuinum consilium scribitur. *eo enim tempore Pelistini dominabatur israeli.* Ad reddendam rationē iustæ occasionis quæsitæ à Samone aduersus Pelistinos, adiungitur hic dominiū Pelistinorum supra Israel. contra tyrannos enim iustæ quæritur occasio lædendi.

Descendit

Descendit itaq; Simson cū patre suo & matre in Thimnath: veneruntq; ad vineas Thimnath, & ecce catulus leonum saeuus & rugiens. Iuxta Hebræū habetur. *clamans in occursum eius, nec dicitur aliquid de sæuitia. Irruit autem spiritus domini in Simson.* Iuxta Hebræum habetur. *Et secundaui super eum spiritus Iehonah.* Si liceret dicere legendum esset & prosperauit. nam successum prosperum in Samson diuini spiritus significat: vt effectus subsecutus testatur. & dilacerauit eum quasi hedū in frustra decerperet, nihil omnino habens in manu sua: & non indicauit patri suo & matri quod fecerat. Hinc clarè habetur quod Samson declinauerat à via qua incedebant parentes eius, & extra viam occurrat ei catulus leonis. Descenditq; & locutus est mulieri: & plura vit in oculis Simson.

Et reuersus est post aliquot dies vt acciperet eam: declinauitq; vt videret cadaver leonis: & ecce examen apum erat in corpore leonis & mel. Quod cum sumpsisset in manibus, iuit cundo & comedendo veniensq; ad patrem suum & matrem dedit eis partem & comederunt, & non indicauit eis quod de corpore leonis tulisset mel. Descendit itaque pater eius ad mulierem: & fecit ibi Simson conuiuium, sic enim iuuenes facere consueuerant.

Cumq; ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta qui essent cum eo. Nisi Samsonis persona præ se tulisset virum robustum & procerum, nō redderetur pro causa datorum triginta sodaliū aspectus eius. dati siquidē videtur sub specie conuiuarii, ad cauendū tamē nequid mali ex Samsonis robore proficisceretur. Quibus dixit Simson: proponā vobis problema quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta Syndones & totidem tunicas: si autem non poteritis soluere, vos dabitis mihi triginta Syndones & triginta tunicas. Qui responderunt ei: propone problema vt audiamus. Dixitq; eis, de comedente exiuit cibus & de forti egressa est dulcedo: nec poterunt per tres dies propositionem soluere.

Cumq; adisset dies septimus dixerunt vxori Simson: suade viri tuo vt indicet tibi quid significet problema, ne comburamus te & domum patris tui igni: vt spoliaret nos vocasti nos nōne? Fleuitq; vxor Simson iuxta eum & ait: profecto odis me & non diligis, idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere. cui ille respondit. patri meo & matri non indicavi & tibi indicabo? Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum: tandemq; die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Literalis quæstio sub-

suboritur: quoniã paulò superius dictum est, tum quòd per tres dies soluere non potuerunt ænigma, tum quòd isti totales die septimo requisuerunt vxorem Samsonis: quomodo ergo nunc dicitur quòd fleuit vxor septem diebus conuiuij? Solutio est quòd secundum ordinem historię triduo stuerunt ad soluendum ænigma: quarto autem die ad vxorem Samsonis recurrerunt simpliciter, septimo autè die adiecerunt minas incendendi ipsam & domũ patris: vxor autè Samsonis quatuor diebus vltimis molesta erat ipsi Samsoni inquirendo veritatem ænigmatis: & Samsonè reuente vltimè ad diem septimum, tandem septimo die vicit improbitas mulieris. Sensus autem literæ huius non est quòd diebus septem vniuersis fleuerit, sed quòd infra istos dies septem conuiuij fleuit. ad librandum enim quòd tempore conuiuij nuptialis illa fleuerit, scriptũ est quòd flebat septem diebus conuiuij: hoc est non obstante quòd duraret septenarius numerus diertam conuiuij nuptialis. *quæ statim indicauit cimbis suis. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum, quid dulcius melle & quid fortius leone? qui ait ad eos, si non arastis in vitula mea non inuenissetis propositionem meam.*

Irruit itaque in eum spiritus domini. Iuxta Hebræum repetitur supradicta verba. Et prosperatus est super eum spiritus Iehouah, descenditq; in Ascellon & percussit ex eis triginta viris, quorũ ablatas vestes dedit iis qui problema soluerant. Prosperior successus describitur ad percutiendum triginta Pelistinos quàm fuerat ad discerpendum leonem. Si miraris diuinum spiritũ inter hos iuueniles ludos admiscere opus suum, recole quòd angelus annũciator Samsonis dixit cur quæris nomen meũ quod est mirabile? Et hoc oportet præ oculis habere in subiunctis Samsonis factis, quæ sunt mirabiliora. *iratusq; est furor eius & ascendit in domum patris sui. Fuitq; vxor Simson sodalicus qui societatem fecerat ei.*

CAPVT

XV.

T fuit post dies aliquot in diebus mensis triticeæ, visitauit E Simson vxorem suam cum hæc caprarũ, dixitq; ingrediar ad vxorem meam in cubiculum, & non permisit ei pater eius vt intraret. Dixitq; ei pater eius: putauit quòd odisses eam. Quia Samson iratus recesserat à domo foceri (vt in calce dicitur precedētis capituli) (& vxor proditrix illius fuerat, ideo locet dicit putauit quòd odisses eam. vere enim digna erat odio

odio Samsonis. & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem quæ iunior & pulchrior illa est, sit tibi pro ea vxor. Cui Simson respondit: ab hac die non erit culpa in me contra Pelistinos, faciã enim eis malum.

Perrexitque & cepit trecentas vulpes: caudasque earum iunxit ad caudas & faces ligauit in medio. Iuxta Hebræum habetur. & posuit facẽ vnã inter duas caudas in medio. describit enim particulariter numerũ: videlicet quòd binas iunxit vulpes in caudis cũ face in medio duarũ caudarũ. Ligneas autè crediderim faces prius ligatas, & deinde accensas statim emittendo cõbinationem illã: non enim dicitur qd omnes simul emisit. Quas igne succedens dimisit vt huc illucq; discurrerent quæ statim perrexerunt in segetes Pelistinorum: quibus succensis, & comportatæ iam fruges & adhuc stãtes in stipula cõcrematæ sunt, intantũ vt vineas quoq; & oliueta stãta cõsumeret. Iuxta Heb. habetur. Et succendit ignem in facibus, & misit in segetes Pelistinorum: & fecit cõburere ab acervo vsque ad segetem, & vsque ad vincam & oleam. Vbi clarè patent quatuor damna: quorum prima fuerũt granorum tum acervatim adhuc manentium in agris, tum manentium in culmis in expertis messorum falcem. Dixeruntque Pelistini, quis fecit hanc rem? quibus dictũ est, Simson gener Thimnã quia tulit vxorem eius & dedit eam sodali eius: ascēderuntque Pelistini & combusserunt eam & patrem eius igni.

Quibus ait Simson: licet hoc feceritis, tamen adhuc ex petam vltionem, & tũc quiescam. Iuxta Hebræum habetur, si facietis sicut istam: quia si vindicauit in vos & postea cessabo? Obscura valde sententia est. nec occurrit mihi magis consonus sensus quàm iste: videlicet an facietis sicut ista? quasi dicat non: hoc est an facietis vindiçtã de aliis quemadmodum fecistis de focero & de vxore? Et explicando negatiuam, subiungit an quia vindicauit in vos & postea cessabo? hoc est, signum qd nõ facietis iustitiam, est quòd ratio facti vestri (quam interrogatiuè proponit, an quia vindicauit in vos & postea cessabo?) ratio inquam mouens animum vestrum non est iustitia, sed spes quòd ego cessabo à vindiçta quia vindicauit in vos, comburendo segetes. Vniuersa ergo sententia ad duo capita pertinet: nam prima interrogatiua sententia negationem iustitiæ in illis, secunda autem spem quietis Samsonis post huiusmodi duas vindiçtas (alteram ab ipso, alteram à Pelistinis) affirmat. Et per hæc manifestat nullum in ipsis esse

zelum iustitiæ. propter quod subiungitur. Percussitque eos in-
genti plaga, ita vt stupentes suram femori imponerent. Sæpe inter-
pres expositoris officium usurpat. nam iuxta Hebræum ha-
betur. Et percussit eos tibia super coxam percussione magna. Scito
tamen quod nõ est certus casus dictionis interpretatæ tibia,
an sit accusatiui an ablatiui. Potest enim legi in casu accusa-
tium: & sic significaret rem percussam. & potest legi in casu
ablatiuo: & sic significaret instrumentum percutiendi. Et qui-
dem si percussa res significatur, intelliguntur nomine tibie
pedites, nomine coxæ equites, quia illi super tibias, isti su-
per crura sustententur. Si verò instrumentum percutiendi in-
telligitur, mirabilis percutiendi modus significatur: videlicet
quod pede percussit femora eorum. Et huius sensus quadrat
negotio. nam isti Pelistini loquentes cum Samson, aduene-
rant vt Samson agnita combustione loceri & vxoris facta ab
eis cessaret à vindicta, nec erat multitudo magna: & pro-
pterea facile potuit Samson monstrata iniustitia eorū, con-
tra ipsos insurgere pede percutiendo femora eorum, & fu-
gientium posteriores partes. vtræque enim partes significan-
tur dicendo, super coxam. Et quoniam vehementes erant i-
ctus, ideo dicitur plaga magna. descendensque habitauit in spe-
lunca petra Hetam. In tribu Iudæ rupes hæc erat: vt testan-
tur subsequuta gesta à Pelistinis cõtra Iudæ & ab ipsis Iudæis.

Ascenderuntque Pelistini, & castrametati sunt in Iehuda in lo-
co qui postea vocatus est Lechi, id est maxilla. Dixeruntque ad eos
viri de tribu Iehudæ, cur ascendistis contra nos? qui responderunt, ve-
ligemus Samson ascendimus ad faciendum ei sicut fecit nobis. Descen-
deruntque tria millia virorum de Iehuda ad specum silicis Hetam:
& dixerunt ad Samson, nunc nosti quod Pelistini nobis imperant?
cur hoc fecisti nobis? quibus ille ait, sicut fecerunt mihi sic feci eis. Di-
xeruntque ei, ad ligandum te descendimus vt demus in manum Pe-
listinorum: quibus dixit Samson, iurate mihi quod non occidetis me.
Iuxta Hebræum habetur, quod non aduersabimini mihi vos.

Nolebat Samson contra Iudæos præliari: & propterea petiit
vt ipsi Iudæi non pugnarent contra eum. Dixeruntque ei, non
te occidemus sed vinculum trademus: & ligauerunt eum duobus no-
uis funibus, & ascendere fecerunt eum de petra Hetam. Intellige
eum ligatum sponte tradentem se eis sub fide non aliter læ-
dendi eum. huc enim tetendit totum colloquium habitum
cum Samson. Qui cum venisset ad locum Maxilla, & Pelistini
vociferantes

vociferantes occurrissent ei, irruit spiritus domini in eum. Iuxta He-
bræum habetur, prosperatus est super eum spiritus Iehovah. Lon-
gè maior prosperitatis successus describitur & penè incre-
dibilis. & sicut solent ad ardorem ignis lina consumi, ita vincula
quibus ligatus erat dissipata sunt & soluta. Inuenitque maxillam
asini. Iuxta Hebræum additur, recentem. paulò antè siquidem
mortuus fuerat asinus. misitque manū suam & accepit eā, & per-
cussit in ea mille viros. Et ait Samson, cantando canticum, in ma-
xilla asini asini aceturorum, in maxilla asini percussi mille viros. Sic
iacet in Hebræo: nisi quod multi Hebræi asinum secundo no-
minatum intelligunt aceruum, & legunt aceruum aceturorū.
Et intelligo referri capita cantici: vt primum quod sola ma-
xilla asini, deinde quod aceruos virorū fugauerit & demum
quod mille viros percussit, cecinerit diffusè. Nõ est autem
diffusè scriptū Sãsonis canticū sicut canticū Delboræ, quia ni-
hil Deo attribui in hoc cãtico, hæc tria capita recitata testã-
tur. Propter quod non irrationabiliter Iosephus Samsonem
elatum gloria vana describit. in cuius signum sacra scriptura
nec introducendo Samsonem incipientem canticum nec
describendo finisse canticum dicit quod cecinit domino: sed
duntaxat quod Samson locutus est, nullam mentionem Dei
aut domini faciendo. Cũque compleuisset loqui, proiecit ma-
xillam de manu sua: & vocauit locum illum Ramath Lechi, quod
interpretatur eleuatio maxilla. Sitiensque valde, clamauit ad domi-
num & ait: tu dedisti in manu serui tui salutem hanc magnam, &
nunc morior siti incidamque in manus incircuncisorum. Et rupit
Deus molarem dentem qui erat in maxilla, & egressus sunt ex eo a-
qua, quibus hausit reuersus est spiritus eius & vixit: idcirco voca-
uit nomen eius fons inuocantis qui erat in maxilla vsque in presen-
tem diem. Iudicauitque Israel in diebus Pelistim viginti annis.
Duodecimus iudex Samson scribitur, dominantibus tamen
super Israel Pelistinis. Et hinc clarè habes quod iudices Is-
rael quauis essent primi in populo, nõ tamen habebant do-
minium sed officium iudicandi duntaxat.

CAPVT XVII.

Biit quoque Samson in Haxam: viditque ibi mulierem me-
A rettricem, & ingressus est ad eam. Cumque dictum esset Haxa
xitis Samson venis huc, circumdederunt eum. postis in porta
ciuitatis custodibus qui ibi tota nocte cum silentio præstolarentur vt
facto mane extantem occiderent. Dormiuit autem Samson vsque ad